

quos demum recensuit ac *I. Tim. IV, 1.* τοῖς πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων attendere dixit, non obscure ostendit. Quod si enim recte se habet vulgaris hæreseos descriptio, quod opposita sit τῇ Ἐπιγνώσει ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν *Tit. I, 1.* revera homines in textu memoratos huic sorti Apostolus adjudicat, quando inter illos refert, qui ἀνθίστανται τῇ ἀληθείᾳ, resistunt veritati.

§. VII. Hoc vero ipsum hæresin facere, primarius porro vocis hæreseos significatus denotat. Cum enim Clarissimus Vir *Henricus Stephanus* (e) vocem hanc a Græco ἀρῆϊν deducat, expugnationem illam seu destructionem primario designare ait, quemadmodum ἀρῆϊν πόλιν expugnare urbem, capere vel delere dicitur. Quod, ceu vetus quidam Græcorum Scriptor *Phavorinus* (f) egregie confirmat, hæresin ferme iis describens verbis & καταστροφὴν, κατάλυσιν eleganter appellans, ita significatione hac clare innuitur, hæreticos esse, qui veritatem, qua possunt, expugnant, destruunt, eique resistunt.

§. VIII. Tales itaque cum describat Apostolus, de quibus mihi differendi animus est, sponte fuit conclusio, recte hoc nomine compellari ac vere pro iis haberi, qui pestifera quædam dogmata, veritati divinæ e diametro repugnantia & fundamentum fidei vel directe vel indirecte evertentia sibi eligunt, ea cum pertinacia quadam acerrime defendunt, adque gloriam Dei labefactandam ulterius promovent. Ita certe recepta nobis hæreseos vox sui cultores definit. Quamvis enim varios olim apud *Stephanum* (g) *Swicerum* (h) *Dietericum* (i) admiserit significatus & μέσον quoque prioribus fuerit vocabulum, subsequentibus tamen temporibus, venerabili teste *Breithauptio* (k) mutationem in significando ita subiit, ut non nisi malum in Ecclesia:

(e) in *Lexico voc. Hæresis.* (f) in *voc. Hæresis.* (g) in *Thes. Græc. Ling.*
 (h) in *Thes. Eccles.* (i) in *Illustram. N. T.* (k) in *Observat. Theol.*
de hæresi juxta S. Scr. sensum Observ. II. §. II.